

auctoris opera continentur, per Joannem Hervagium, M.D.XXXVIII. Eadem ordinatior & correctior, *Caelii Secundi Curionis* opera, qui eam Sigismundo Augusto, Polonorum Regi, nuncupavit, iterum prodiit ex iisdem praelis Hervagianis anno M.D.LX. in tomos quatuor divisa, in quos etiam pene univ[er]sa Coccii opera quae exstant, congesta sunt. Nuper transalpinorum aliquot doctorum hominum recensuimus curas in Sabellici *Enneadas*; verum in his elucet *Gaspar Hedio*, Argentoratensis, qui addidit *historicam synopsis* usque ad annum M.D.XXXVIII. quae habetur in priori Basileensi Hervagiana editione; & praedictus *Curio*; qui undetriginta librorum *supplemento* res orbe toto gestas usque ad annum M.D.LVIII. complectitur: exstat in tertio editionis Hervagianae posterioris tomo.

Interea aetas provec̄ta, studiorum assiduitas, & juvenilis intemperantia ita corporis habitudinem labefactarant, ut raro ipsi liceret ad publicum docendi munus prodire. Dato igitur supplici libello, petiit a Senatu, ut ab onere univ[er]so immunis, acciperet tamen annuam ducentorum aureorum mercedem. Clementer id ipsi est indultum, Senatus consulto facto IIII. kal. augustas anni M.D.V. Et quoniam infacile apparet, & quam bene sit meritis de Republica nostra Sabellicus, & quae hujus de ipso fuerit existimatio, visum est hic totum exc̄ribere ex I. decretorum etc. volumine pag. 106. quae exstant apud amplissimos rei literariae Triumviros, quorum evolvendorum copia mihi humanissime facta est per virum praestantissimum Laurentium Theupolum, Equitem & Procuratorem, & tunc etiam Patavini Lycei moderatorem, quo patrono cum humaniores literae, tum praecipue studia nostra unice utuntur & gloriantur.

„ 1505. die 29. julii. in Rogatis.

„ Neminem profecto latet, quanta omnium studentium satisfactione
 „ praestans ac utriusque linguae peritissimus vir Dominus Marcus An-
 „ tonius Sabellicus hac in urbe nostra humanitatis studia publice per
 „ viginti fere annos professus sit. Et cum nuper Dominium nostrum
 „ adierit, supplicaveritque, ut habita ratione fidei, longae servitutis, la-
 „ borum, ac lucubrationum suarum, cum praesertim Decades rerum
 „ Venetarum ab U. C. scripserit, ac alia ediderit opera in decorem &
 „ Veneti nominis laudem, perpetuamque hujus Reipublicae nostrae
 „ memoriam & ornamentum, dignaremur senectuti suae consulere, &
 „ decernere, quod, si ob ingravescentem aetatem, corporisque invali-
 „ tudinem, impedimentum ejuscemodi sibi occurreret, quo minus le-
 „ ctioni vacare possit, stipendium tamen suum annuum ducatorum du-
 „ centorum in senii sui sustentatione consequi & habere consuetis tem-
 „ poribus debeat, ne senex vel valitudinarius pauperiem experiri cogatur: cum hujuscemodi petitio honestatem maximam teneat, vigiliae-
 „ que & labores sui requirant, ut ipsi annuamus: Idcirco

„ Vadit pars, quod auctoritate hujus Consilii declaretur, statuatur;
 „ & captum sit, quod in omnem eventum, tam senii, quam adversae
 „ valitudinis, aut alicujus alterius impedimenti, quo minus lectioni in-
 „ cumbere possit, ut haec̄enus cum juventutis nostrae utilitate, summa
 „ cum commendatione egit, acturusque est in futurum, donec sibi li-
 „ cebit, stipendium praedictum ducatorum ducentorum, quoad vix-